

998

cessum ignorari , quia cum paucis , atque ignoto habitu venire constituisset . Eo nuncio æque ac debuit Dux latatus , miro desiderio tanti hospitis adventum expectabat . Imperator Ravennam interim venit : ex Ravenna Pomposiam primo transiit , locum Ghorio Padi ostio propinquum ; noctuque navem ingressus , quinque ex domesticis cum Joanne Diacono acceptis , prospera navigatione usus , Venetias applicuit . Placuit in Divi Servuli monasterio esse potius , quam in publico aut privato hospitio , ut suus adventus commodius celebretur . Hic cum Petro Duce noctu congressus est : ac post mutuam gratulationem , & quod ille prospera navigatione Venetum littus incolmis attigisset , hic vero , quod nuper tam pulchre Rempublicam in Dalmatia administrasset , intempesta nocte Divi Marci fanum subiere : ubi votis rite ab Othono solutis , mox Ducarium concidunt ; & quia uterque pro summo habuit negocio , ut novi hospitis præsentia ignoraretur , Dux , quoad penes se Othonem habuit , prandebat in publico : cœnas vero cum eo familiariter celebrabat . Interim ne hospitali tantum necessitudine essent inter se juncti , sed alia adhuc sanctior accederet , ex sacro fonte Ducis filiam per eos dies natam Otho suscepit : aureum pannum , qui ex publico fœdere Cæsaribus annuus debebatur , in perpetuum Veneto nomini remisit : ipse quoque multis & amplis muneribus a Duce donatus , Ravennam reversus est . Dux triduo , postquam Othonem a se dimiserat , populum ad concionem vocavit : cui Imperatoris adventum , & quonam modo penes se in hospitio per aliquot dies fuisset , & quæ ab eo impetrata essent , significavit . Grata æque omnia populo fuere , laudataque Urfeoli industria in tanti Principis præsentia occultanda : atque ita non multo post ob egregia ipsius in rem Venetam merita publico decreto est ei permisum , ut Joannem filium sibi Collegam cooptaret : quem ad summam dignitatem traductum , pater cum conjugé & Othono fratre ad Constantimum & Basiliū Imperatores , in Græciam misit : a quibus magnis muneribus ornati , haud longo interjecto tempore Venetias rediere . Sed quia nulla fuit unquam humana fœlicitas , quam non aliquis fortunæ casus violaverit : ita

999